

B. M. II, 128.

f. 32, 1.

CUM BONO DEO.

&

Consensu Magnifici JCtorum

Jenensium Ordinis

PRÆSIDE

Serenissimorum Saxoniae Ducum, ut

& Celsissimi Principis Dn. Ferdinandi

Alberti Ducis Br. & Lün. Consiliario Eminentissimo

DN. JO. STRAUCHIO, JCto,

Cod. & Feudalium, nec non Juris Publici

Prof. P. Facultatis Juridicæ Seniore, ejusdemque h. t.

Decano. Judicii Provincialis atq; Scabinatus Assessore,

Patrono ac Præceptore suo reverenter &

submisse atatem colendo,

De

AUSTREGIS,

Sive

Privilegiatis Sacri Rom. Imp. Procerum

Instantiis

disputationem cum eruditis habebit

A. d. Maji. Anno 1671.

HELVICUS Dieferich /

Ulm. Auctor.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISL.

II R
3474







Q. D. B. V.

PROOEMIUM.



Iudicia per Germaniam à multis retro seculis aliam atque aliam induisse faciem, mutationique vel maximè fuisse obnoxia, idque vel Pontificum Romanorum summâ insolentiâ, qui, quemadmodum aliis Imperii Juribus, ita quoque Juri dicundo insidiari, & Reges Principesque ad suum tribunal rapere omni vi conati sunt: vel etiam mutuo dissidio Principum inter se: quo factum, ut, quod aliàs legibus in judiciis decidi debèret, non nisi vi belloque, aut latrociniis dirimeretur; ut ita res Judiciaria firmo talo in Germania stare nunquam potuerit. Præ aliis accuratissime deducit Vir omni laude major *Conringius* in egregio suo tractatu, quem inscripsit *De Judiciis Imperii Germanici*. cujus compendium exhibet personatus *Mongambano c. 5. §. 14. seqq. de statu Imp. Germ.* Hodie per Germaniam ordo rei Judiciariæ longe certior & constantior per Dei gratiam se prodidit, variis hinc inde in S. R. I. bene constitutis Judiciis; iisque vel universalibus, vel particularibus, quæ omnia & singula pluribus enumerare propositi nostri cum non sit, pauca saltem eaque celebriora paucis delibabimus. Eminent autem in universalibus Judicium Camerale supremum, quod Spiræ, (quæ sedes perpetua

per R. l. de an. 1530. & O. C. p. 2. t. 34.) colitur, constitutum à Maximiliano I. & Statibus Imperii, vid. Illustris Strauchius, Praeses & Praeceptor meus maximè Venerandus in Exoteric. Diss. ult. §. 5. eo tempore, quo in variatâ illâ procedendi ratione (quam obtinuisse ex Conringii laud. tract. discitur) crescentibus litibus, appellationum ad Judicium Cæsareum multitudo appareret; anno nimirum 1549. ult. octobr. in Imperiali Wormatia. Ad pleniorum hujus Judicii cognitionem facient Dn. Bæclerus, Patronus meus magnus & Praeceptor optimus, in de Not. S. R. l. 13. c. 2. Dn. Paurmeister de Jurisd. l. 2. c. 6. Dn. Limn. l. 9. c. 2. Dn. J. A. Gerbard de supremis in Imperio Rom. Judiciis. (2.) Judicium Aulicum Cæsareum, Germ. Der Kaysersliche Reichs-Hoffrath. institutum à Ferdinando I. an. 1549. auctum à Maximiliano II. an. 1596. plane novatum à Matthia I. an. 1614. quibusdam verò interpolatum à Ferdinando III. in renovata Judicii Aulici Ordinatione, quam Limn. tom. 5. add. l. 9. c. 4. habet. Commendatione dignum exinde, quod 1. processus in illo citò & sine odiosis ambagibus expediri solent: & 2. quod res deliberata executioni non prius mandetur, quam S. Cæsareæ Majestati oblata, quæ demum consilio secretiori vulgo dem Geheimen Rath (quod cum priori Aulico sc. confundi non debet, discrimen horum tradit Limn. l. 9. c. 4.) rationibus status & utilitatibus Imperii praevalentioribus probe trutinandam atque ponderandam comunicat. Plura de hoc suppeditant Dn. Limn. l. 9. c. 4. & Dn. J. A. Gerbard. in laud. tract. Inter particularia Judicia celebrantur (1.) Judicium antiquum illud Rothwilense, à quinque jam seculis, & quod excurrit, non sine evidenti fructu effectoque durabile, vid. Dn. Bæcler. in de Not. S. R. l. 13. c. 3. institutum an. 1147. à Conrado III. Duce Sveviæ, deinceps
Impe-

Imperatore, restrictum ad 4. tantum Circulos, puta Sve-
vicum, Franconicum, Austriacum & Rhenanum, ultra
quos se non extendit ejus Jurisdictio, *vid. reform. Maximil.
II. part. 2. tit. 5.* nec in hos omnes & singulos, *Dn. Paurm.
de Jurisd. l. 2. c. 6. n. 12.* Appellatur ab hoc ad Cameram, *R.
Pl. de an. 1570. §.* und nach dem uns fürkommen / & à so-
lo Cæsare dependet, *vid. reform. Maximil. II. p. 2. tit. 1.* und
nach dem. hinc non facile patietur Cæsar illud aboleri, &
propterea cum de abolitione hujus, & in tract. Monaster.
art. 5. §. 20. ibi. denique cum etiam. & in Comitiiis Ratisbon.
1654. actum esset, sed frustra, novum aliquod caput Capitu-
lationi Ferdinandi IV. insertum est, in quo obligabatur Fer-
dinand: IV. Judicium hoc non aboleri, sed corrigere, uti re-
fert in *discurs. ad Notit. S. R. I. inscr.* Dn. Bœclerus, reliqua,
si quæ in hoc Judicio notabilia occurrunt, peti possunt ex i-
*psa Ord. Judicii Rotbwil. quam omnium optime commenta-
rio illustravit P. M. Webnerus.* Habet etiam de hoc *Paurm.
l. 2. c. 7. (2.)* Judicium illud privilegiatum, quod vocant
Austregarum: gaudent hoc quidam ex immediatorum Im-
perii numero, per quod exempti sunt à Camera, ut non
statim in prima instantia coram illa conveniri queant.
Quod quidem impræsentiarum, cum ad probandam indu-
striam, quam, ingentibus meritis obœratam, dulcissima pa-
tria desiderat, specimen aliquod publicum edendum esset,
tractandum paulo penitius mihi sumpsi. disquisitione A-
cademica forte non indignum; quippe cujus usus perpe-
tuo nunc in Instrum. Pac. Cæs. Svec. *art. 5. §. visitatio Con-
silio 55. circa fin.* & imprimis in Recess. Imp. de an. 1654. *§.
98. & 162.* itemque Capitul. Leopoldi 1658. *§. auch sollen 18.*
confirmatus, illiusque validus vigor cum in Cam. Imper. *§.
benebens 105. verb. Die erste instantias.* tum Judicio Aulico
A 3 Cæs.

Cæs. 8. 168. *ibi.* was den Churfürsten und Stände ut & in R. H. D. tit. 2. § wir befehlen. *ibi.* privilegia der ersten instanz jura Austregarum &c. aller Gebühr nach sorgsamlich in acht nehmen / und den Reichständen unberührt verbleiben lassen. fundatus. Quæcunque igitur in hac tam nobili materia forte tractanda nobis obvenerint, certis quibusdam cancellis, perspicua, quantum quidem ingenii vires permittent, brevitate includam. Usus autem sum methodo, in disputationibus hætenus solenni & usitatissima, ut nempe per generalia, definitionem sc. & divisionem progrederer ad specialiora, quæ sunt causæ & Effectus, itemque contraria. Cæpto Deus ex alto benedicat.

Dispositio generalis.

THESIS I.

Definitio nominalis est vel Etymologica,

Ipsius vocis Austregarum originem (quam primum recte investigamus l. 1. de J. & J. l. 1. pr. depos. l. 1. & 2. de spons. Wemb. ad pr. Inst. de J. & J.) Germanicam esse, terminationem vero latinam non unus, qui linguam utramque callet, negabit. Deducitur enim à communi, quod in loquendi usu consistit, verbo Germ. *Austragen.* *Speid. voc. Austräg.* Latinis significat idem ac decidere, componere, definire; emphasin aliquam voci huic inesse demonstrat *M. Stephani de Jurisd. l. 2. p. 1. c. 3. n. 2.*

Synonimias,

TH. II. Dicuntur autem aliàs Austregæ Privilegium primæ Instantiæ; privilegiatæ Instantiæ; Judicium Compromissorium; *vid. Dn. Schüz. vol. 2. J. P. disp. 3. de Austr. th. 2. l. g.* sed hoc minus benè, fiunt enim compromissa liberè; At Austregæ habent in se Juris necessitatem, & in invitos exercentur: à Compromissariis non appellatur: appellatur autem ab Austregis. *Ord. Cam. p. 2. tit. 2. §. darauf soll.* errat igitur *Burgoldensis.* dum causam Palatinatus de Wildfangiis judicio Austregarum, agitatam autumat, quæ tamen per arbitros compromissarios tractata & decisa fuit, ut docent acta publica. Judicium Ordinationis, *Dn. Lampad. de Rep. Rom. Germ. 2. 3. c. 16. n. 82.*

TH. III.

TH. III. Et sumuntur variè, interdum pro ipso Jure & privilegio, quod Ordinibus illis per privilegia is has instantias competit, quò facit *Ord. Cam. p. 2. tit. 2. ibi.* Austräge gegen einander haben non rarò pro ipsis Judicibus, qui instantiis illis præsidere solent; sic vulgo dicimus; **Die Sach ist vor den Austrägen.** Sano verò sensu, quo nos quoque sumimus, Austregæ accipi solent pro instantiis primis privilegiatis.

TH. IV. Quas nos ita definimus, vel potius describimus. *D. finitio*
Austregæ sunt Judicia, in quibus certorum Ordinum & immemorialium Nobilium Imperii res controversæ in prima instantia *realis,* secundum præscriptam Imperii legem vel privilegia dividuntur & adjudicantur.

TH. V. Et dividimus in legales, quæ ipsa lege publica *Divisio,* certis tantum Ordinibus in *O. C. p. 2. t. 2. seqq. an. 1495.* primum concessæ, & in *Recess. Imp. variis an. 1521. 1548. 1555.* majoris valoris ergo repetitæ, auctæ atque confirmatæ, quæ Germanico idioma veniunt **die Reichs Austräge.** (de quibus etiam hæc nostra erit dissertatio) & non legales, quæ vel consuetudine, vel conventionione, vel præscriptione, vel speciali aliquo privilegio Cæsareo introductæ sunt, & rursus sunt vel conventionales, vulgo **gewillführte** / quas diversæ familiæ inter se constituunt, exemplo nobis sunt regnum Bohemiæ & domus Saxoniarum: item domus Saxonica, Brandenburgica & Hassiaca, *Dn. Schubhardus de Austreg. c. 8. n. 3. seq.* Quò referimus etiam Austregas, quas habent ex Civitatibus Imperialibus nonnullæ: (e. g. *Ulma*, patria mea, carissima, quæ judices in prima instantia agnoscit **Memmingen / Gemünd und Biberach.** *Argentoratium* quæ Judices habet **Basel / Worms / und Ulm.** *Norimberga* agnoscit **Windsheim und Weissenburg am Nordthaw.** *Ratisbona* nominat **Augsburg / Nürnberg und Ulm.** *Eslinga* judices laudat **Ulm / Reutlingen und Heilbron.** *Dinckelspülum* judicem sortitur Præfectum Civitatis **den Stadt Amman /** qui cum 4. Senatoribus ex civitatibus **Nördlingen / Rotenburg an der Tauber / Schwäbischen Hall / und Schwäbischen Wârth** cognoscit, quarum plures recensent *Dn. Schub. c. 8. n. 15. Reincking. de Reg. S. & E. l. 2. d. 2. c. 16. Schwannan. l. 1. c. 7. n. 3.*

7. n. 3.) Vel Statutaria, vulgo *Stam̄ Husträge* / quæ inter eandem familiam manent, cujusmodi dantur bene multæ: sic suas habet familia Palatina, suas Saxonica, suas Hassiaca, quæ hodie adeò sunt usitatae, ut præter has nullam ferè familiam vel domum, quæ non suas certas atque definitas Austregas sequatur, dari, quinimò etiam apud nobiles sæpius tales observari testetur Dn. Schubh. *d. c. 8. n. 11.*

Doctorem TH. VI. Circa originem harum investigandam Doctores circa originem opiones. *res multum disputant. Aub. der donawertischen Informat. part. sua 1. & 2. pluribus in locis, & quo cum facit Rümelinus Dissert. ad A. B. 1. part. 7. coroll. 1. originem Austregarum primæ Germaniæ consuetudini adscribit. Frid. Lenzius incertum esse dicit, an consuetudo, quod verisimile, an privilegium, originem illis dederit, utut autem hoc sit sufficere nobis ait, quod ex Jure scripto instantiæ istæ observentur, ib. 8. c. 3. Nobiliss. Doctor Conringius in d. tr. Personatus Monzambano, §. 19. c. 5. cit. l. Burgold. disc. ad Instr. Pac. 19. §. 3. quanquam propter defectum historiæ illorum temporum originem harum incertam reddunt, probabiliter tamen illam referunt in tempora Frederici II. seculi XIII. quo interregnum illud magnum extitit. Dissent. Dn. Schubh. c. 2. Dn. Limn. c. 5. l. 9. Dn. Schutz. cit. diff. de Austr. 3. ib. 4. l. b. Alii.*

TH. VII. Nos omnino assentimur Dn. Conringio, & hæc arbitria usui originem debere asserimus, qui interregni temporibus, & post interregnum, usque ad Maximilianum, invaluit, cum quod interregni tempore, nulla omnino Judicia erant, tum quod post illud, tanta Imperatorum fuit imbecillitas, ut non sine causa Principes ab eorum Judicio causas suas suspendere noluerint. Facit apprimè Exemplum quod Illustris Bœclerus in *notitia Imperii l. 13. c. 5.* adducit, de Archi-Episcopo Trevirensi & Lotharingiæ Duce. Quem usum cum nec tutò nec è re aboleri posse Maximilianus judicaret, certam ei formam dedit, & sanctione sua roboravit. Adeoque nihili est distinctio inter Austregas legales & conventionales, ratione quidem originis, cum utrarumq; origo conventiones sint & pacta, nec à Maximiliano originem, sed ex parte cõfirmationem habent, ex quo vero
Maximi-

Maximiliani constitutione usus Austregarum confirmatus fuit,
distinctio in legales & non legales coepit.

TH. VIII. Et absurdum est, si de rei origine in genere
quæris, diversarum specierum originem loco responfionis ob-
trudere. Maximilianus igitur, postquam quarundam Austre-
garum usum confirmasset, confirmatarum à se Autor dicitur.
Quò pertinet, quod Carolus V. Imperator primam Austregarum
concessionem Eidem adscribit, in privilegio Noribergenfibus
Austregas concernente, tradito, cujus meminit Wehnerus in
Quest. Cameral. c. 7. ex quo refert Dn. Schüz. his verbis. **Daß**
v**a****u****f** **d****e****n** **W****e****y****l****a****n****d** **d****e****n** **A****l****l****e****r****d****u****r****c****h****l****ä****c****h****t****i****g****s****t****e****n** **F****ü****r****s****t****e****n**
K**a****y****s****e****r** **M****a****x****i****m****i****l****i****a****n** **u****n****s****e****r****e****n** **l****i****e****b****e****n** **H****e****r****r****e****n** **u****n****d** **A****n****h****e****r****r****e****n**
H**o****c****h****l****ö****b****l****i****c****h****e****r****G****e****d****ä****c****h****e****n****i****ß** **i****n** **a****n****. 1495.** **u****n****d** **d****u****r****c****h** **u****n****s**
a**u****c****h** **u****n****s****e****r****e** **u****n****d** **d****e****ß** **R****e****i****c****h****s** **C****h****u****r****f****ü****r****s****t****e****n** **/ F****ü****r****s****t****e****n** **/ u****n****d**
a**n****d****e****r****e** **S****t****ä****n****d****e** **d****e****ß** **h****. R****e****i****c****h****s** **i****n** **1521.** **J****a****h****r** **z****u** **W****o****r****m****b****s**
v**o****r****s****e****h****u****n****g** **g****e****t****h****a****n** **/ u****n****d** **v****e****r****a****b****s****c****h****i****e****d****e****t** **/ w****e****l****c****h****e****r** **w****a****s****s****e****n** **/**
u**n****d** **v****o****r** **w****e****m** **C****h****u****r****f****ü****r****s****t****e****n** **/ F****ü****r****s****t****e****n** **/ G****r****a****v****e****n** **/ F****r****e****y****e****n** **u****n****d**
a**n****d****e****r****e** **/ u****n****s** **/ u****n****d** **d****e****m** **H****e****i****l****. R****ö****m****. R****e****i****c****h** **o****h****n****e** **M****i****t****t****e****l** **u****n****t**
t**e****r****w****o****r****f****f****e****n** **i****n** **e****r****s****t****e****r** **i****n****s****t****a****n****z** **b****e****l****a****g****t** **w****e****r****d****e****n** **&c.**

TH. IX. Nec moramur Jacobum Blumium in *Process.*
Cam. tit. 27. n. 11. ubi ait: consuetudinem esse facti, & probari de-
bere. At hanc non esse probatam à Rümelino & aliis. Quasi in
Judicio contradictorio de origine Austregarum sit nobis discep-
tatio, ubi consuetudinem asserenti incumbat probatio: alia ratio
est doctrinæ publicæ quæ fidem lectori facere potest, etiam eru-
ditis conjecturis & probabilibus, seu ἐν δόξοις ὁμολογήμασι.

TH. X. Sed pergimus ad materiam. Et primo quidem sub-
jectivam; de objectiva agetur deinceps. Subjectum igitur Au-
stregarum sunt tres illæ, quæ quodvis aliud iudicium constituunt
personæ, Judex, Actor & reus. Quatenus quidem habiles, quos
ordinatio Cameræ (utpote caput & fundamentum huius iudicii)
p. 2. 1. 2. 3. 4. & 5. requirit, inveniuntur, harum enim si una defe-
cerit, iudicium est nullum, & non attenditur *c. forus. x. de V. S.*

TH. XI. De reo dicemus primùm. qui si habilitatem su-
am rite probare velit, debet esse 1. immediate Imperio subjectus,
& 2. neminem nisi Imperatorem agnoscere superiorem vel Judi-
cem

Reus.

B

cem

cem. Isque vel est primi vel secundi ordinis (præterimus studio divisionem illam in tres status usitatissimam, respectu scilicet ad hoc privilegium, ut appareat specialitatis ratio, competit enim beneficium hoc non omnibus statibus, & excluduntur Civitates Imperiales; nec verò omnibus non statibus denegatur, & includuntur nobiles Imperii immediati *vid. O. C. p. 2. t. 5.*) In primo ordine comprehenduntur Electores & Principes, *Seculares & Ecclesiastici*, item Principali dignitate illustres, *itidem vel seculares vel Ecclesiastici, ut Archi-Episcopi, Episcopi, Magister Ordinis Teutonici der hohe teutsche Meister / Abbates, Abbatissa:* Qui omnes & singuli (Ecclesiastici tamen, quod notandum, non quâ tales, sed quâ sunt Principes seu status Imperii & regali dignitate investiti) Austregis in primâ instantiâ fruuntur, & quidem contra quosvis cujuscunque conditionis Actores, per expressum textum in *O. C. p. 2. t. 4. §. fin. ibi: und sollen solche Aussträge der Prälaten / Graven / Herren / Ritterschafft und Städte / allermassen wie die obgesetzt / auch mit den Bürgern und Bauern / und andern Unterthanen gegen den Fürsten und fürstmässigen Stadt haben.* Secundum ordinem constituunt Prælati. *Quid de Capitulo, sede vacante? Gaudet Austregis, quia sede vacante quoad Jurisdictionem & Imperium Capitulum Prælatum representat c. 1. & 2. x. ne sede vac. c. cum olim. c. bis qua x. de Major. & Obed.* Commendatarii Provinciales, *Land Commenthür der Balleyen / Comites, non tamen Landsassii (qualis est Comes ab Hardek qui sub domo Austriaca, Comes ab Hobenstein qui sub domo Brandenburgica.) Sed status.* Barones, Nobiles Imperii immediati. *vid. O. C. p. 2. t. 5. §. wie und vor welchen Richter Prälaten &c.* Fruuntur autem, quod sciendum hi ex secundo ordine, modo & formâ cum primi ordinis personis inæquali, non enim nisi vel à primi vel sui ordinis personis conventi isthoc gaudent, si vero ab immediatis aut mediatis aliis citantur, judicio se sistunt Camerae vel Aulae Imperatoris. *vid. P. Frid. de process. l. 1. c. 18. n. 3. & seq.*

TH. XII. Prædictos autem primi & secundi ordinis Judicii hujus privilegiati non solos facimus, sed horum quoq; fratres, & respectivè liberos, uxores, & viduas. Et fratres quidem, tum quod ordi-

ordinatio generaliter loquitur, wo Chur / Fürsten / Fürsten /
Sürstnässige Prälaten & einander zu recht fördern sollen /
tüm quia privilegium hoc non patrimoniale sed personale est, ut
recte censet P. Frider. l. 1. c. 9. in fin. Liberos, sexus utriusque, exin-
de, quod conditionem patris sui in consequendis honoribus, di-
gnitatibus & familiâ sequantur l. 19. ff. de stat. homin. l. 9. & 10. ff. de
Senator. l. 1. ff. ad municip. l. 22. & 36. C. de Decur. Mulieres: iisdem
quippe Privilegiis cum maritis hæ condecorantur, l. 2. C. de Episc.
& Cler. & illarum forum ex maritorum persona statuendum l. mu-
lieres. ult. C. de Imcol. l. mulieres C. 13. de dignit. l. 3. C. de privil. Schol.
Viduas: quamdiu scilicet in viduitate persistunt; hoc enim tem-
pore mariti demortui dignitatem atque forum retinent, l. filii 22.
§. vidua 2. ff. ad municip. & in prioribus nuptiis persistere cense-
tur Nov. 22. §. 1. Sed satis de reo.

TH. XIII. Actorem nunc considerabimus. qui, uti aliâs **Actor.**
quoque sequi tenetur forum rei l. 2. C. de Jurisd. & for. comp.
l. 5. C. eod. l. 3. C. ubi in rem act. l. un. C. ubi de hered. l. 3. C. ubi
caus. stat. Ita & in hoc Judicio. & plane nihil refert, (imprimis
quoad reum ex primo ordine) cujuscunque conditionis seu sta-
tus fuerit actor, sive immediatus, sive mediatus sive quicumque
alius, per cit. text. **Und sollen solche Austräge der Prälaten**
& sive etiam peregrinus: licet de hoc Doctores nondum conve-
nerint. Reum verò ex secundo ordine persequitur non nisi æquè
privilegiatus uti supra dictum est.

TH. XIV. In Judice, utpote tertiam personam Judicii **Judex.**
Austregalis constituyente, ut brevibus nos expediamus, & ge-
neralia tantum notemus, considerandum venit, quod sit *vel*
persona publica, ex se & sua natura & dignitate talis dicta, *vel*
privata, quæ non ex se, sed Dominorum suorum persona æsti-
matur, quales sunt *Consiliarii* Electorum ac Principum, qui de-
sumuntur ex nobilibus & doctis, in quibus singularis eruditio
& peritia in judicando omninò requiritur. vid. R. J. de an. 1570.
§. **Damit aber die Unterhanen nicht rechtloß gelassen**
würden / soll ein ieder sein unter / oder Hoffgericht mit
verständigen Urtheilern besetzt behalten / auff daß das
selbst den Partheyen zu Recht und Billigkeit verholffen
B 2 **wers**

werden möge. *Officiales* vulgo **Amtleute / Pfleger / Voigt /**
qui literis etiam exculi esse debent: multum tamen de horum
imperitiâ hujus seculi conquestus est, allegatus à Schützio, Kel-
lerus *in tr. de Offic. Jur. Pol. l. 2. c. 1. f. 232. vel Vasalli. vid. O. C.*
p. 2. t. 4. ibi: **Wo aber der Churfürst / Fürst / oder Fürst**
mässige nicht so viel Râthe in seiner Hoffhaltung hätte /
so soll der Klâger aus den beklagten Amtleuten / Voigt
ten / Pflegern und Lehenmann des Adels die übrige Sum
ma ergänzen und ersetzen.

Materia
objectiva
sunt Cause
Civiles. TH. XV. Sed pergimus ad materiam objectivam, quæ
sunt Cause in hoc Judicio disceptari solitæ. Sunt autem potissi-
mum Civiles, non tantum personales, sed etiam reales, non
modo quoad proprietatem, sed etiam quoad possessionem: ita
tamen ut in actoris relinquatur arbitrio, reum aut coram his no-
stris, aut rei sitæ Judice conveniendi. Roding. *pand. Cam. l. 1.*
tit. 4. num. 5. Vultej. ad l. 1. ubi Senat. num. 20. Schvvanmann.
de process. l. 1. c. 6. num. 7. non obstantibus, quæ à Donello. 17.
somm. c. 17. (cui assentitur Hilliger ibid.) prolixè disputantur,
quibus eruditè satisfecit Vultej. *l. 1. C. ubi in rem act.* Innui-
hoc etiam generalis nostræ Ordinationis locutio *tit. 4. Wann*
ein Stand den andern mit Recht beklagen wolte / wars
üm oder was Ursachen das wäre.

An etiam
feudales? TH. XVI. Cognitio de feudis, quam majoribus, quam mi-
noribus huc non pertinet. vid. Rosenthal. *de feud. c. 12. conclus. 1.*
num. 27. neque obstat huic generalitas textus in O. C. p. 2. t. 4.
sub eâ enim causæ feudales, singulare quippe Judicium feudale,
itemque singularem Judicem habentes comprehendî nequeunt,
vid. Magnif. Struv. *in Syntagm. Jur. Feud. c. 16. tb. 5. in fin. de*
his enim solus Imperator vel Rex Rom. judicat, vid. O. C. *p. 2.*
t. 7. Vultejus hic, referente Schubh. c. 5. num. 110. Imperato-
rem si lis fuerit de feudo regali, judicem competentem facit, si
verò de non regali controversia moveatur, tunc immediatè ad
Austregas pertinere contendit: verum paucos præter Lentzium
nactus est adstipulatores. hoc tamen verum est, si in causis feu-
dalibus lis aliqua non propter ipsum feudum oriatur, sed aliam
qualitatem, puta merè civilem, attingat, ad Austregas optimè re-
mitti

mitti posse, idem sentiunt Schubh. *d. c. n. 137. Dn Schütz. tb. 13. An Crimi-
l. b. nales?*

TH. XVII. *Causas Criminales, quas nonnulli ex Doctori-
bus & in his Dn. Limn. huc trahunt, nos excludimus. cognoscunt
enim Austregæ de iistantum, in quibus appellatio fieri potest
ad Cameram, Dn. Schub. c. 5. num. 30. Jam verò hæ Criminales,
Peinliche Sachen / die Leibstraffe auff ihnen tragen / ne-
que in primâ, neque in secundâ instantiâ in camerâ locum ha-
bent. O. C. p. 2. t. 28. §. Nach dem. E. & in hoc tractari non
possunt, sed solus Imperator de istis judicat; concedunt hoc nobis
non omnes, sed utuntur distinctione quâdam Doctores (quam
Schützius quoque amplectitur) inter delinquentem in suo, & de-
linquentem in alieno territorio; prioris Judicem Imperato-
rem quidem largiuntur, posterioris autem Dominum istius loci,
in quo delictum perpetratum est, Judicem faciunt: provocan-
tes ad praxin & observantiam. sed quam miserè? quis enim
nescit, à facto ad jus nimis licentiosam & perniciosam interdum
collectionem fieri? cum non quid fiat, aut factum sit, sed quid
fieri debeat, attendendum *l. sed licet. 12. de offic. Pras.* neq; Exem-
plis sed legibus judicandum sit, *l. nemo iudex. 14. C. de sentent.*
Quinimo cognitiones hæ, **So ùm eines Fürsten Recht / Ehr /
Leib und Lebenschafft zu thun** / dudum Imperatori cesse-
runt. vid. Dn. Schubh. *num. 53. c. 5.* Dubium itaque nobis restat
nullum, quò minus Imperator delinquentem in quocunque
solo punire possit.*

TH. XVII. De matrimonialibus, an sub hoc iudicium, *An Matri-
cadant? non ineptè quæritur: sunt enim ex Doctoribus, qui moniales?
strenuè affirmant. præ aliis tamen circa quæstionem hanc oc-
cupatus est Zieglerus ad prax. Calv. §. Austrega. conclus. 2. seqq.
& probat ext. 4. p. 2. O. C. verbis (warùm oder was Ursachen
Das wäre.) universalibus & simplicibus, iisque geminatis, &
à Principe summo profectis, quæ comprehendere ait sub se sin-
gulas species, & proinde etiam causas matrimoniales. verum
respondet ad hæc & alia illius argumenta Schubh. *num. 90. & 98.
c. 5.* concedendo huic, verbis generaliter positis & repetitis magnâ
quidem inesse vim, hæc tamen verba determinatè intelligenda,*

& secundum concedentis voluntatem & potestatem (quæ duo necessario in omni concessione requiruntur) examinanda dicit, & sic apparere, cum Imperatori nulla Jurisdictio in causis matrimonialibus fuerit, tum temporis, quò Austregæ datæ sunt, propter Pontificum Romanorum usurpationem, eam quoque per verba illa universalia atque repetita in Judices Austregarum, quia ipse non habuit, transferre nec voluisse nec potuisse. Schubh *cit. l. 1. & n.* Quæ sit vero, quo tandem pertinerent hæc Causæ matrimoniales? judicium nostrum suspendimus.

Forma. TH. XIX. Sed ad formam, quæ iterum duplex est, vel
est Essentialis, vel accidentalis. Forma essentialis Austregarum,
vel Essentialis. consistit in ipsa Jurisdictione quam Judices exercent. Utrum autem illa sit ordinaria vel delegata? maximè controvertitur. Nos delegatam eam esse statuimus: & argumentum, quod dissentientes in præcipuis habent, non moramur, quod nimirum à lege delata est, ut ex constitutione Imperii per *O. C. p. 2. t. 2. 3. & 4.* probari videtur, omnis autem Jurisdictio à lege delata sit habenda ordinaria. Bender *de revis. concl. 4.* non admodum stringit, quid enim? annon legati Proconsulis mandata est Jurisdictio? *l. 4. §. 6. ff. de offic. Procons. & seq.* & tamen à lege est, legitime propria *l. 13. ff. eod. tit.* Magnificus Dn. Præses *Dissert. Justinian. 20. aph. 15.* Nec obstat, quod Principes causas suas plerumque consiliariis suis mandent, jurisdictionem autem alii mandare is solus possit, qui eam habet jure suo, neque alieno beneficio *arg. l. more majorum ff. de Jurisd.* Nam Consiliariorum, isthæc expeditio mere instrumentalis est, Principe per hos, tanquam organo suo judicante, adeoque non est propriè dicta mandata Jurisdictio, sed modò ministerialis, Principis velut nervis, mobilis administratio. idcirco à Consiliariis delegatis non ad Principes mandantes sed ad Cameram appellatur. *O. C. p. 2. t. 6.* Hinc etiam est, quod si Austregales recusari possint, ut factum docet in causa Marchionum Badensium contra Baronem de *Gleschenstein Mynsing. cent. 2. obs. 52.* quod secundum Jus civile non liceret, si ordinariam Jurisdictionem haberent.

Vel accidentalis. TH. XX. Forma Accidentalisa est ipse modus & forma procedendi, quemadmodum nobis describitur *p. 2. t. 4. & 5. & talis*

talis est. Vel conveniuntur primi ordinis inter se, vel ab aliis.

TH. XXI. Si conveniuntur inter se; Actor reo querelam ac postulata sua in scriptis mittit, jus ac Judicium flagitans; reus intra quatuor septimanas 4. potentes rerum Principes, sacri profanique ordinis binos diversarum familiarum nominat; actor unum deligit, delectum reo intra tantundem temporis domum per literas denunciatur O. C. p. 2. t. 2. hunc ita electum ambo 14. dierum spacio suscipiendæ cognitionis citandarumque partium causa interpellant; rogatus velut delegatus Cæsaris vigore hujus legis litem definiendam suscipit, diem locumque judicii litigantibus denunciat, causam cum Consiliariis non suspectis cognoscit & ex Jure definit, utrique tam actori quam reo appellatione permissa.

TH. XXII. Sed numquid electus ab actore Evangelicæ religionis addicto, judicium debebit pro dimidiâ parte Evangelicos Assessores, pro alterâ Catholicos adhibere? Quod affirmandum videtur, quia vigore Instrumenti pacis paritas religionis, tam in Judicio Aulico quam Camera, nec non in omnibus commissionibus Cæsareis & deputationibus stabilita est: at Austregæ sunt Cæsareæ Commissiones.

TH. XXIII. Quod si reus quicquam horum prætermiserit, recta in Camera conveniri potest. Quod ita tamen accipiendum est, ut in arbitrio actoris sit, utrum reum de novo super Austregis requirere velit, an Camera Jurisdictionem subire malit, excepta causa spoliis simplicis, per textum Ord. Cam. t. 8. §. wo sich denn & seq. Si vero electus Princeps ante finem Judicii vita functus fuerit, ex antea simul nominatis quem Actor optaverit, succedit O. C. p. 2. t. 2. toto. Sin autem Princeps electus judex, judicis officium subire nolit, mandatum sine clausula in Camera decerni solet, uti præjudicio quodam docet P. Friderus de proc. l. 1. c. 19. n. 10.

TH. XXIV. Quod si autem hæ primi ordinis personæ à secundi ordinis personis conveniuntur; hodie cuivis ex octo seqq. unum modum seu viam eligere licet, quem Princeps conventus præcisè admittere tenetur. Quorum primus modus est: ut coram 9. Consiliariis ad minimū quinque; nobiles numerentur, qui Cōsiliarii in-

tra

tra annum & diem litem definire tenentur. O. C. p. 2. t. 4. p. 1.
& §. 1. juncto. §. *erstlich* &c. vel de assensu partium, acta ad uni-
versitatem vel Academiam pro concipienda sententia, quam
suo nomine postea pronuncient, mittunt, R. J. de an. 1570.
§. *in unser Kammer Gericht* &c. Secundus est; ut ex pradi-
ctis novem Consiliariis actor 7. vel 5. solos quos voluerit Judices
exoptet, qui juxta præscriptum modum litem definiant, eisque
sicut & primo modo reus Princeps sumptus suppeditare tenetur.
§. *Zum andern*. Tertius: ut reus Princeps tres Principes no-
minet, ex quibus, quem vult actor judicem eligit, quo negotium
juxta ordinem terminet. §. *Zum dritten. eod. tit.* quo casu, si
actores nobiles seu privati tantum fuerint, hæc nominatio nec
familiarum diversitati, nec duodenorum milliarium interca-
pedini adstringitur. Deputations *Abfch. de ann. 1600. §. Und*
nach dem &c. Quartus modus est: ut actor Commissarium
à Cæsare ad minimum tamen ex Prælatorum præcipue vel Co-
mitum ordine impetret. §. *Zum vierden. ib.* Unde neque Baro,
neque nobilis Commissarii munere fungi potest. Quintus est: ut
actor 9. viros bonos totidemque reus Consiliarios nominet,
ex illis postea reus duos, ex his actor tres seligat, qui quinque
judicium inter partes exercent. §. *Zum fünften. d. 1.* Sextus:
ut actor duos viros bonos, reus duos Consiliarios nominet,
& coram iis 4. lis peragatur; quibus dissentientibus, neque
consensu partium superiore eligentibus Præsidem Cæsar non
suspectum præficit, qui vel alterutram sententiam amplectitur,
vel suam peculiarem profert; & hoc casu nominati nominantis,
Præses autem communi sumptu exhibetur. §. *Zum sechsten. b. t.*
Septimus: ut ex Consiliariis omnibus rei (exceptis uno vel al-
tero, si quos reservare velit) Princeps actor quinque eximat,
vel si tot Consilarii non adessent, ex Officialibus Vasallis aut
nobilibus suppleantur, qui causam examinent, atque cessante
reconventionem dijudicent. §. *Zum siebenden. d. 1. 4.* Octavus
& ultimus est: ut reus Consiliarios novem, & inter hos, 5. nobiles
ad minimum sistat, coram quibus scripta utrinque quatuor,
nec plura, intervallo 4. septimanarum (vel si ob loci distantiam
termini justo angustiores fuerint, actori petenti à reo quotannis
diebus

diebus quatuordecim amplientur) gemina proferantur, tertiis, causa merita plenè discutiantur, quartis, novi nihil aspergatur, sed concludatur, nec quicquid novi irreperit, attendatur, testes per Commissarium utrinque comprobatum examinentur, vel examinatore[m] quisque suum cum scriba simul edat, scripta bina alterum probatorium, alterum exceptionis ab utrâvis parte, intra 4. hebdomadas, à testium ac documentorum publicatione, exhibeantur, ac tum causa pro conclusâ habeatur. §. Zum acht ten. b. i. Et hi modi non solum (juxta §. ult. d. i. 4. Und sollen solche Anträge ic.) locum obtinent, quando secundus ordo convenit primum, verùm etiam quaudò privati cujuscunque ordinis aut dignitatis cum primo ordine litigare velint.

TH. XXIV. Cum verò primus & octavus modus ferè in unum convenire videantur, quæritur de differentiæ ratione. In primo enim actor reum coram novem Consiliariis Rei convenit, æquè ut in octavo. Sic tertius atque septimus videntur nil quicquam differre. Sed primus tamen ab octavo sic differre videtur, quod in illo reus de Consiliariis requisitus proponitur: in octavo ipse non requisitus Consiliarios sistat: In tertio ex nominatis à reo actor eligit: in septimo actor ex non nominatis reus ipse eligit.

TH. XXV. Et hæc de primi Ordinis personis. sequitur nunc, ut de secundo Ordinis personis videamus. qui si conveniuntur, vel id fit à primi Ordinis, vel sui Ordinis personis, (si enim à tertio Ordine, puta Civitatibus Imperialibus, aut privatis aliis conveniuntur, forum immediatum competens Camera est. Gail. i. O. i. n. 17.)

TH. XXVI. Si à primi ordinis personis Illustres nobilesve Imperii immediati Rei postulentur; actores Principes sui ordinis non suspectum intra duodecimum lapidem & reo vicinum, obtinent, ac coram eo ex ordinationis formâ procedunt. O. C. p. 2. i. 3. vel tres Principes Viros, neutri addictos ultra 12. milliaria à se non remotos, nominari à reo petunt, eorumque unum in judicem exoptant. Ord. d. l.

TH. XXVII. Si à sui ordinis personis conveniuntur, hoc nomine requisitus reus tres Principes actori ultra duodecimum
C lapi-

lapidem non dissitos nominet, ex quibus actor unum deligat, vel, si Reus malit, judicem delegatum à Cæsare obtinet. Ord. C.

p. 2. t. 5.

Finis.

TH. XXIX. Progredimur ad finem. Introductæ autem sunt Austregæ, ut Electores, Principes, ac reliqui immediati beneficio appellationis, seu secundæ instantiæ gaudere queant, nec melioris sint conditionis Cives mediati & subditi, quam ipsi statû & Domini eorum. Perspiciens enim Sacratissimus Imperator Maximilianus I. inferiores quosvis plures unâ instantias habere, quibus jura sua vicibus iteratis urgere, ac fortè fortuna omissa de novo proferre ac diducere possint *l. 6. C. de Appell. l. 4. C. de temp. & repar. appell.* iis verò Electores, Principes, reliquosque immediate Imperio subjectos hæctenus destitutos, illorumque causas, ut plurimum, gravissimas uno judicio terminari consuevisse, æquum judicavit, si prædicti Electores, Principes &c. non minus quam mediatè Imperio subjecti beneficio appellationis gauderent, ne scil. inferioribus deterioris essent conditionis: id quod etiam verba sequentia supra memorati Privilegii Carolini satis clarè innuunt. **Darmit sie zum wenigsten zwo Instanz, und Ihnen die Gutthat und Hülff der appellation also wol als den Jenigen / so dem Reich nicht ohne Mittel unterworffen / vor behalten und unbenommen bleibe.** Hinc etiam fit, ut à quocunque tribunali datur provocatio, illud Austregas non teneatur observare. v. g. à Judicio Rothvilenfi ad Cameram vel Aulam Cæsarem datur provocatio. Igitur hoc Judicium non teneri ad observantiam Austregarum rectè concludit Schubhard.

c. 2. n. 87.

Effectus.

TH. XXIX. Effectus Austregarum sunt varii; primarius tamen hic est, ut per hoc sistatur Jurisdictio Cameræ atque Aulæ Cæsareæ, (utcunque hic dissentiat Nobilissimus Paurmeister *de Jurisd. l. 2. c. 4. n. 139. seqq.* asserit enim hoc ipsum rubrica *t. 2. p. 2. Ord. Cam.* idem testatur decretum Rudolphi II. Imper. Præsidi Consilii Aulici *d. 1. Jul. an. 1596.* insinuatum; quod ita sonat; **Die Kåyserliche Majestät knte neben andern nicht sehen / warum und zu was Ende es fürtråglich und gut were / daß ohne sondere Noth und Ursachen / die in Reichso**
Abschied

Abschieden und Ordnungen begriffene Instantien übers
Schritten / und dem Cammergericht labefactirt würden /
hingegen Ihrer Majestät Käyserlicher Regierung schwer
re behelligung aufwachsen möchten. Ne verò quis de
Camerâ solum hic locutum fuisse Imperatorem dicat, ille legat
velim Matthiæ I. renovatam **Reichs Hoffraths Ordnung.**
an. 1614. in Aug. promulgatam, ap. Limn. de Austr. c. 5. Hic quæ-
ri potest, an Aula Cæsarea cumulativè concurrat cum Austregis,
vel ut clarius dicam, an in casu, quo Austregæ locum habent, præ-
venire eas Aula Cæsarea queat? quod negamus, moti Instr. Pac.
*art. 5. §. visitatio. vers. cœtera ubi statuitur non minus in aulico ju-
dicio quàm Camerâ Austregas servandas esse.* Jam Camera non
concurrit cum Austregis. adde Capitul. Leopoldi *art. 18.*

TH. XXX. Appellatur ab hoc judicio ad Cameram, si ni-
mirum summa appellabilis sit, juxta *O. C. p. 2. t. 2. §. 2.* doch soll
**Keiner Parthey die appellation für das Käyserliche Camera
Gerichte benommen oder abgestrichet sein / add. §. 2. und
dieweil tit. 28. p. ead.**

TH. XXXI. Reconventio locum etiam in hoc judicio sibi
vindicat per verba *fin. §.* **So dann ic.** Nimirum agitur aut co-
ram novem Consiliariis à Principe reo constitutis, aut ab acto-
re electis, & tunc reconventio cessat. *O. C. p. 2. t. 4. §.* **dieselbe ic.**
aut agitur coram aliis Austregarum judiciis ex aliquo reliquo-
rum modorum; & tunc reconventio locum habet. *per. d. §.* **So
dann. circa finem.** Ita non potest conventus coram Austregis a-
ctorem super feudis v. g. regalibus reconvenire. Quod enim
ad Austregas non pertinet directò, propter defectum potestatis,
id neque per consequentiam & indirectò eò trahi potest.

TH. XXXII. Sic quoque prorogatio admittitur, etiam si
jurisdictio delegata sit. Bocerus *de Jurisd. c. 7. n. 20. seq. cum l. 1. ff. de Jud.* in genere Jurisdictio prorogari dicatur; at generalis
dispositio singulas species sub se contineat, nec ad certos casus se
restringi patiatur.

TH. XXXIII. Superest, ut quâ ratione locum non habent, **Contraria**
ultimò dispiciamus. Cessant igitur Austregæ vel ratione perso-
narum, actoris sc, & rei, vel rerum. Deficit igitur hoc judicium

ratione actoris, tam propter concurrentiam alterius, qui ad observantiam Austregarum non tenetur; quò in casu Camera ad- eunda est; quam ex sua ipsius personâ, videlicet quando conve- nit aliquem in alio quam Austregarum Judicio, & in eodem ab eo reconvenitur, ille enim qui non cogitur in aliquo loco ju- dicium pati, si ibi agat, cogitur actionem expectare, *l. qui non cogitur. ff. de Jud. 22.* Pariter sicut in actore, ita etiam reo Au- stregæ quiescunt; quando sc. indignum se reddit privilegio, ut quando commisit aliquid, cujus causâ in Bannum Imperiale in- cidit *arg. l. 5. ff. de publ. Jud. Gail. 1. obs. 1. n. 38. Mynsing. cent. 1. obs. 90.* vel quando non paret formæ in ordinatione præscriptæ, quò casu causam directò ad Camera Imper. deduci textus est *in §. und sollen. fin. p. 2. O. C. tit. 2.*

TH. XXXIV. Etiam renunciatio contrariatur Austrega- rum Judicio. Licet verò huic privilegio primæ Instantiæ re- nunciare reo in sui nempe præjudicium, Non verò in præjudi- cium actoris, per ea, quæ notat Decius *ad l. 29. C. de pact.* unde si actor privilegiatum in Camera convenit, potest reus privile- gio primæ Instantiæ renunciare: non verò potest, si coram Au- stregis conveniatur: ratione utriusque eæ cessant, quando con- ventionales vel arbitrarias Austregas inter se habent, hæ namq; illis præferendæ sunt, *p. 2. O. C. t. 2. in pr. ibi. welche sonderliche gewillkührte Rechtliche Austräge gegen einander haben/ deren sollen sie sich laut derselben gegen einander gebrauchen. Dann die Gemeine Reichs Austräge secundum re- scriptum Rudolphi II. ad Electorem Palatinum 28. Jun. an. 1578. in causâ Georg Hanssen/Pfalzgraven/ contra ChurPfalz & consortes, die sonderliche Erbeinigung und Verträgen/so die Stände untereinander haben/ nicht aufheben.* vid. P. Frid. *de proc. l. 1. c. 19. n. 2.*

TH. XXXVI. Causæ, in quibus Judicium hoc non atten- ditur, sunt causæ fractæ pacis religiosæ *R. A. de an. 1555. §. wir befehlen.* Profanæ *p. 2. O. C. t. 9. § seq.* pignorationis *d. p. 2. t. 22. arrestorum R. A. de an. 1570. §. wann dann auch die arresta. litigiosæ possessionis, p. 2. O. C. t. 21. l. diffimari, p. 2. O. C. t. 25. Fiscales, p. 2, O. C. t. 20, relaxationis juramenti ad effectum a- gendi,*

gendi, p. 2. O. C. t. 24. denegatae vel protractae Justitiae, O. C. p. 2.
z. 26. violati privilegii Caesarei, & aliae. de quibus Gail. Friderus,
Schvvanman, Mynfinger, aliique, suis locis, plenius tractarunt.
Meum nunc est, apud B. L. deprecari errores, quos agno-
sco plurimos, qui sic rogatus pro sua humanitate facile ve-
niam dabit, imprimis si cogitaverit, neque quovis tempo-
re, neque ab omnibus omnia expectanda esse. l. 6. ff. §. 3. de
offic. Procons. Tibi vero summe Deus, ex quo & per quem
omnia l. 5. §. 1. C. de SS. Trinit. & fid. Cathol. cum quo ince-
pi, & quo propitio haec pertractata sunt, §. 3. Inst. Praem. de-
votas & immortales ago gratias, exhibiturus laudes, quas
mens mea concipere, & lingua proferre potest maximas
l. 1. pr. C. de offic. Praef. Prat. Afr. quod non solum meis pra-
esse studiis adhuc, sed & benignè manum mentemque in-
conscribendâ hâc dissertatiunculâ dirigere volueris. Gra-
tia mihi porrò Spiritus Sancti adsis, & studiis meis ita
benedicas, ut laetus illorum sit

F I N I S.

PATRIS AVIQUE TUI sequeris vestigia docta,
DIETRICE & studiis invigilare studes.
PATRIS AVIQUE igitur Te gloria lausque sequetur!
Impleat omnipotens hâc mea vota Deus!

Pereximio Dn. Respondenti, Inquilino &
amico suo dilecto gratulatur.

SEBASTIANUS Niemann/
SS. Th. D. P. P. & Superint.

C 3

Ad

Ad Politissimum Dn. Autorem!

TEutoniam Austregas, quas cuncta
Oenotria nescit,
Discutis egregiè propitiâque
Themi.

Hinc Austregarum meritò est Au-
strega vocanda,
Porgitur à doctâ quæ Diatriba
manu.

STRAUCHIUS, PRÆSES.

Nullus ego dubito, dulcis quin Patria fru-
ctum
De vigili studio mox habitura tuo.
Et cineres nostrum Excultum lætantur aviti
Helvicum saluum luce frui rutilâ.
Et redivivus ovat genitor videre beatum
In docta gnatum vivere classe suum.
Ulmani certi vives sibi te fore civem,
Illis qui multum commodus esse queat.

His

His ego subjicio, sis fortunatus in omne
Ævum, nulla tuis sint mala mixta bonis!

*Nobili & Clarissimo suo Dn. Affini gratulabundus
scripsit*

ERNESTUS GOCKELIUS,
Ph. & J. U. D.

TE quoties laudo, loquitur res ipsa quod ajo:
Gloria virtutem, corpus ut umbra refert.
Est etenim virtus, magno sudore parare,
Divitias Themidos pauci imitantur idem.
Hoc ipso Tu non quæris certamine laudem,
Sit licet hæc dignum. laus ea summa Tua
est.

*Hiscæ Nobili & Eximio Dn. Dietrico, Fautori
suo colendo, applaudeb.*

Jacob. Vogler / J. U. Dd.

Aurea jam dudum cessarunt secula! Et aurâ
Impluit in terram non Juppiter amplius! Urgent
Ferreâ nos miseros, & plus quam ferreâ secla!
Nempe labore Dii vendunt sua dona! Laboris
Frons gemina est: Prima austero truculenta fatigat
Adspectu multos, Sacræ & Virtutis honores
Exosos reddit; facies sed amica laboris
Et jucunda sedet tergo, quam Larva Catonis
Frontosi occultat calloso in pectore tristis.
Hinc DIETRICE juvat doctæ impallescere chartæ,
Insomni & studio vigiles producere noctes!
Hinc felix, felixque iterum, qui Tempa Laboris
Impiger intrasti, dum cura hæc pectore sedit

Unica,

QX
TK
3474

Unica, quō, quicquid Sacri penetralia Juris
Occlusum occultumque tenent, studiosa recludat
Ingenii vis alta Tui! Nunc, ecce, quadrigas
Et famæ & laudis, gemmis flammisque Pyropi
Instruit ipsa Tibi Themis: Ipsaque læta capessit
Fræna manu, niveamque Tibi (quàm fronte serena!)
Protendit dextram, currusque ascendere mandat.
Scande, Tuo merito, DIETRICE, has scande quadrigas!
Fortuner Deus istud iter, summi que cacumen
Te faciat, *deus eximium*, contingere Templi!

φιλοφρόνως scribebat

ANDREAS JANUS.

FINIS.

KOM



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000
Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
[Blue patch]	[Cyan patch]	[Green patch]	[Yellow patch]	[Red patch]	[Magenta patch]	[White patch]	[3/Color patch]	[Black patch]

